



colorchecker CLASSIC




xrite

mm



Comœdia
et
Tragedia

Ælii Suetonii





8008

Table des Mat. Courages de ce Volume

Bartholomaei Lamberti Veneti Comedia q̄; Lepidis-
sima Politechnae. pag 1.

Tragedia Progni pag 41

Georgii Simler in Scyrium Joannis Reuchlin
Phorcensis Doctoris enarrationes ej pag 81.

Joannis Reuchlin Phorcensis Doctoris Comedia
duae Senica Progymnasmata, hoc est Ludicra
paeexercitamenta. et Surgius, vel Capitis Caput
pag. 130.

Humbertus Tragedia id est Humbertus Conus
Bellijocensis de Braujan Authore R. P. S. G.
Religioso Cluniacensis. pag. 150.

Rebecca Frischlini pag. 192.



3 p. incunable

1780. 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

John Baptist de Volder
1780. 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

John Baptist de Volder
1780. 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

John Baptist de Volder
1780. 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.



John Baptist de Volder
1780. 20. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.



192

130

IOANNIS
REVCHLINPHORCEN.

SIS LL. DOCTORIS COMOEDIÆ,
duæ, Scenica progymnasmata,
hoc est, ludicra præexerci-
tamenta. Et: Sergius,
vel Capitis caput.



APVD SANCTAM VBIORVM
AGRIPPINAM. ANNO
M. D. XXVIII.

745

PROLOGVS.

Nouus poeta sentiens actoribus
Spatium deesse temporis, quo se parent
Vertit statim quam fecerat comœdiam
In ludum anilem, quem vocat progynasmata.
Nec argumenta nec stilo sublimia.
Nam vxoris æs reconditum vir inuenit,
Ac subtrahit, seruo remandat improbo.
Idem furatur, atq; iuri sistitur.
Astu aduocati ipsum aduocatum decipit.
Non est soluta oratio, sed vinculis
Iambicis trimetris ligata comice,
Optans poeta placere paucis versibus,
Sat esse adeptum gloriæ arbitratus est
Si authore se Germaniæ schola luserit
Græcanicis & Romuleis lusibus.
Nobis fauete nunc, & huius fabulæ:
Aureis benignas commodate actoribus.

ACTVS PRIMVS.

131

Elfa, Henno, Dromo.



Vliercularum est misera conditio herculè,
Atq; ijs magis quæ sunt maritis coniuges.
Hoc vsq; sensi, quæ viro sum subiuga.
Quæcunq; vendo, operâq; dādo domesticis
Curis, lucris, nego cūsq; villicis
Vel quærito vel condo parsimonia
Totum hoc meus ludit maritus & bībit,

Vt vix mihi Iodix supersit inutilis,
Pauper lacerna, ricala, & calyptra iam.
Non ego capillos plagulis connexito.
Hen. Faxo sciam tantum quid vxor murmurat,
Ne fortè sensit quid dolo subtraxerim
De eius crumenula, sed est mirum, vnde tot
Sibi aureos corraserit muliercula.
Sum ego vir, & vix de omnibus laboribus
Totius anni vel talentum congero.
Huic autem heri octo sum furatus aureos
Latenter ex loculo, loco vix credito.
Adeo mea vxor parca parsimonia
Plus multo agit quàm ego laboribus, tamen
Et hoc quidem non nihil in annuis lucris
Venit recensendum, quod indies bibo,
Ludo, & scortor aliquando, & balneor.
Id me beat, tritum quod est prouerbium
Tenax requirit prodigum, ille ego ipse sum,
Et illa rursus hæc ipsa sit necesse erit.
Sed adior tumultuante m sceminam,
Vxor, bonum sero. Elf. Et quidem sero nimis,
Nil serius mihi est bono, cui labor

A ij

Tantum

Tantum diurnus incubat, quod vesperi
Iam vix queam præ pigritudine hiscere.
Hen. Quodcumq; sit laboris utriq;, attamen
Nil nostrum vtriq; (quod sciam) reliqui est super.
Quin ego annuo labore, quem grauiter fero,
Vix superarum, post omnia mihi in lucro est,
Semilacer incedo refartis vestibus
Id ego vsq; adhuc mecum molestè cogitans
Quod ad oppidum mihi migrandum quotidie est
Ad honestos & voluptuarios viros.
Quibus affero caseum, nuces, lac, olusculum,
Poma & pira, & genus id meorum fructuum,
Statui quidem danistam amicam filie
Nostræ prece oppugnare scis quem nomino? El.
Scio, qui in oppido tenax mercator est,
Nostramq; vult domi suæ ancillarier. Hen.
Rectè tu, eum statui precari, vt crederet
Palmas decem vel vilioris lanei
Panni, manuleata quo mihi penula
Fieret, vel amplius, ex eo si emungere
Possem, idq; verbo nuper ei insinuaueram
Dicens, peculium haud mihi vllum extare nunc,
Coniçere fat volui, nec inuitum fore.
Quare hic Dromo legandus est in oppidum,
Ferat mihi à Danista eum pannum in diem
Credendum, vbi æris atq; opum plus suppetat.
El. Tu loquitor illi in rem tuam quicquid voles,
Ego exeo, vt curem, interea, vt stabulent boues. Hen.
Heus tu Dromo. Dr. quid est? He. veni, haud clā te est meus
In te animus, ille amans tui, & fidelior
Quàm cæteris erga suos famulos sit, hinc
Tuam fidem in re ego quadam repeto ardua

Occul-

Ocultius qua aliàs nihil petiuerim.

Dro. Sis certus, isti dixeris lapidi, & luto,

Quicquid tacendum est, optimè tacebitur.

Hen. Mea vxor (vt nosti) se pauperem facit

Semper, nec vllum obulum dat, ingluuiem vt mihi

Satiem meam: nam alumnus illi ego libens

Sum, at illa contrà mihi nequaquam, eo fui

Cautior in inquirendo, si peculium,

Quod parcite sua lucrata aliquando sit,

Aliquò loci pessundatum, aut absconditum

Valerem, ea absenti excauare furaciter.

Quid pluribus? repperi in eo ipso septo, item

Et in ipso eodem ouium vltimo præsepio

Octo aureos à scemina reconditos.

Quos te velim Danistæ vt afferas cito

Huic pannicidæ, nosti? in oppido viro

Mihi meisq; valde amico. Dro. noui ego

Nam & ille me nouit vicissim, deinde quid?

Hen. Pro his mihi vt pannum bonum mittat velim,

Quo lautius redimiculum fieri queat

Ne semper & pannosus, & tam fordidus

Incedere ad sodalitatem & symbolum

Cogar bibendi aut balneandi tempore. Dro.

Fiat. Hen. caue vt iliter geras tibi quæ impero. Dr.

Fiat. Hen. pecunia nemini alteri caue. Dro.

Fiat. Magister admonet quod ipsemet

Non negligenter eram sequuturus, mihi vt

Retinerem & aurum, nec darem cuiquam alteri

Sed pannum ab illo pannicida emungere

Ex credito, & vendere peregrino viro

Data pecunia, simul quam ego furer

Sententia est mea, sic volo sic proposui.

Elsa,

Greta.


A iij

Q Veritur maritus miseriam, totum æs bibit,
 Dilapidat argentum suum tam prodigè
 Quàm si leues essent arista: ego secus
 Nam quodcumq; datur, subduco nummulum,
 Commutoq; argentum, clàm in aurum haud segniter,
 Quod cumulo, & inde condo sub præsepio.
 Hic ludus, hæc mea est voluptas maxima.
 Nam sæpe bis, terue in die loculum exuo.
 Videoq; si sit aurum, & an speciosius
 Quàm fuerit antea, sic item reconditur
 Nunc vado item meopte more, dum Dromo
 Iussum capessit, dum loquuntur inuicem
 Heus tu crumenula, quàm beatè & bellulè
 Vales? sed ecce quid euoluta singula
 Cerno? papæ cheu miseram me, hoc execrabile
 Hoc luctuosum, hoc anxium infortunium.
 Crumena non est, ò propinqua subueni
 Vicina Greta, funditus sum perdita.
 Gre. Amica valde mihi atq; chara. quid Elsa hoc est
 Quod clamitas? El. heu funditus sum perdita,
 Ablata vita est, victus imminutus est. Gre.
 Dic mihi, quid? El. Auri aliquantulum congefferam
 Defoderam, in præsepe clam meo viro.
 Nunc cum maritus luget indigentiam,
 Veni meam resciscitans opulentiam:
 Loculum euolutum, & aurum abactum comperi.
 Heu me miserrimam. Gre. Scio quid factites. El.
 Quid? Gre. est in oppido mathematicus, fati
 Aiunt peritus astrolabi, & manticus,
 Eamus, vno solido mercabimur
 Virum, quod indicet peculijsurem
 El. O solidum feliciorum Cæsare. Gre.
 Eamus. El. ibo, manebit vsq; vir domi.


CHORAV-

CHORAVLES CHORVS.


133



DISCANTVS.



TENOR.



BASSVS.



Mortalium iucunditas volucris & pendula,
Mouetur instar turbinis, quam nix agit sedula.

Quid ergo confiditis in gloria?

Qui diues est, penuriam formidat ignobilem,
Iustabilis fati rotam semper timet mobilem,

Degitq; vitam propè fallibilem.

Qui di-

Qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere,
Sed spe bona lætus sedet, nam sperat acquirere,
Discitq; virtute deum colere.

ACTVS SECVNDVS.

Alcibicius, Greta, Elsa.

Ptolemæus in libris alarmabakalet
Artes magisterij bonas nobis dedit
Astrorum, & omnium quæ scire cœlitus
Homines docet stellarum & erronum situs,
Signorum amicitias, & intuitus graues
Domum locationum. vt inde singulam
Nos rem queamus scire, siue futura sit,
Seu deniq; præsens, aut præterita. Gr.
Audis quid iste astrologus augurat oscitans?
Ex circulo hoc di: it se nosse singula
Vis vt loquamur de tuo thesaurulo? Elf.
Quid ni? libenter. Alc. Ecquis est? Gr. aliqua. Alc. quis est?
El. Est scemina priuata, paupera, egena, inops. Gre.
Tace. Al. Hæc domus non pauperes, sed diuites
Am̄t, repellit pauperes, abite dum. Gr.
Magister, esset ista abundans maximè,
Si per furum licuisset heu petulantiam.
Nim hoc tempore est præreptum huic peculium
Quod humi defossum habebat. Alc. hora cedo qua
Gr. Iam circiter secundam. Alc. hoc est scitu dignum,
Aries, dein Taurus, dein Gemini, dein
Cancer, dein leo, dein virgo, dein
Et libra, tum scorpio, malum hoc signum notat.
Elf. Quin pessimum. Alc. tacete, sexta domus cadens
Rursus malum, mulier rogo qua parte, quo
Momento & horæ punctulo, quoue atomo? Elf.

Aecastor

Accator haud meminisse possum, horologiumq;

Adituus ille noster indoctè regit.

Alc. Qui ignorat ignorabitur, vel aestima. **El.**

Post portionem mediam erat rectè scio. **Al.**

Benè est, fuit tum triplicitatis tertius

Mercurius, hic dominusq; quæstionis est.

Hoho silete calculis negotium

Totum breui tenebo perfectissimè,

Immo teneo, senex vir est, & villicus

Caputq; tectus pileo ad latus rubro,

Nebrideq; pectus decorat hirsuta nimis. **El.**

Certè marito similis est. **Gr.** Tace obsecro **Alc.**

Bibit libenter. **El.** certe is est. **Gre.** Tace obsecro. **Al.**

Et balneatur. **El.** atqui is est. **Gre.** tace obsecro. **Alc.**

Scortatur in mirum modum. **El.** hic non est meus,

Nam me recumbentem sibi vix basiat. **Alc.**

Illi fuit quondam arcta tecum habitatio. **El.**

Vetera hic nimis commemorat, haud scio quis est,

Teneris solemus ludere annis latius. **Gre.**

Tace modo. **Alc.** vnus è villa est qui victitas,

Astronomicæ leges vetant plus dicere,

Præstate vaticinanti oblatum solidum. **El.**

Tene magister, suspicor male, nescio.

Alc. Valet. **El.** certe me hercules tetigit virum

Meum. **Gr.** Inuenis multos viros eiusmodi,

Ego nequii segregare neminem,

Sic est locutus in viros quàm plurimos.

Putas maritus hanc tuam crumenulam

Optaret expilare, egenti qui daret? **El.**

O Greta nescis omnium mentes virorum,

Et te peto nolis cuiquàm fidere,

Et ecce quid maritus & Dromo parant? **Gr.**

B

Rixan-

Rixantur inter se. El. vnde effret tantum mali.

Dromo, Henno, Elsa.

Pecuniam, simulq; pannum detinet
Danista, ait te affore perendie. Hen.

Quod si nequisset pannicida eum mihi
Tecum dare (vt rediens acutè dispartas)

Tu debuisses de pecunia secus.

Sed vxor intrat: tu caue pecuniam

Ne nomines, Danista quid locutus est? Dro.

Et se, & sua omnia dat potestati tua,

Petitq; filiam sibi ancillarier. Hen.

Fieri potest. El. Dromo nec optat nec petit. Hen.

Quare? El. quia inter se odiunt nil Dromo

Et filia, expedi marite negocium. Hen.

Dromo. Dr. Quid est? Hen. aliud nihil responderat:


Dro. Nisi vt valeres tu & magistra salubriter

In proximo emporio velit tecum loqui. Hen.


Sat est, eum tueantur optimi Ioues. El.

Et ego opto felix valeat vsq; vir bonus.

CHORAVLES CHORVS.





DISCANTVS.






TENOR.



BASSVS.



Digna sunt Apolline
 Quæ concinunt poeta,
 Quo coruscant numine
 Diuinitus propheta.

Diligamus ergo nos
 Vates cœlitus sacros
 Quorum ludos scenicos
 Ostendimus facete.
 B ij ACTVS

ACTVS TERTIVS.

Henno, Elsa, Dromo.

EHodum redegi cuncta nunc in ordinem,
Quæ mecum ituri in oppidum ferte ad forum
Ut veneant quàm plurimi. El. Num tu traham
Frugibus onustam lateribus venum trahes?
Hen. Non, vos abite, caulem, olusculum, allium,
Lac, caseum, portate supra verticem,
Partim quoq; suffarinate vestibus,
Quicquid potestis ferre, ferte ad nundinas.
Nam auro est opus non aliter atq; vita. El. Ita
Censeo quidem. Hen. præibo, vos sequimini.
Dromo Dromo mecum, sed scœnum baiula,
Adeoq; binas tolle fasces quoad potes. Dr.
Curabo rectè. Hen. iam veni. Dr. venio modo.

Danista, Henno, Dromo.

PEcuniam fers Henno? Hen. cur pannum mihi
Hoc cum meo Dromone nullum miseras?
Aut cur & ipsos aureos datos tibi
Octo retentas? nisi te fidentior
Essem, nihil non suspicarer, vt solent
Qui nesciunt quis improbus, vel quis probus.
Da. Tu verò habes pecuniam, atq; ego pecunia
Careo, fidem tuam secutus maxumè.
Hen. Iuro aureos dedisse, qui nil sumpserim.
Dan. Pannumq; iuro dedisse, qui nil sumpserim.
Hen. Veni Dromo, tibi iste pannum tradidit?

Dro. Non

Dro. Non. Hen. ecce. **Da.** Tu ne pecuniam dederis mihi?

Dr. Non. **Da.** Ecce. **Hen.** pannum ne portasti **Dromo?** **Dr.**

Non. **Hen.** ecce. **Da.** crede, dedi **Dromoni** quindecim

Panni boni vlnas, tibi referret credito. **Hen.**

Quid? credito? numeravi in huius ego manus

Octo aureos. **Dro.** factum magister pernego

Hen. Et ego **Danista** vlnam vel vllam pernego

Da. Fateor, tibi **Henno** non dedi, famulo dedi.

Dr. Factum **Danista** pernego. **Da.** o probe vir **Dromo,**

Non inde sic euaseris trilittere.

Dro. Trilittere? hoc quid est? num fama læditur?

Famam viro obfuscas, magistratus vetat.

Triliterum ne nomen est suis aut bouis?

Dan. Quid si bouem te nominem? sed o **Dromo**

Dro. Quid o **Dromo?** feci nihil quod de decet.

Da. **Iudicio** fisti te spondes? **Dro.** spondeo.


Da. **Quin iam?** **Dro.** Placet. **Da.** promitte,

Dro. Promitto. **Da.** veni.



CHORAVLES CHORVS.





B iij




DISCANTVS



TENOR



BASSVS



Musis, poetis, & sacro
 Phcebo referte gratias:
 Visus nequit infirmitas
 Apollinem contingere.
 Illiterati cecitas
 Nequit poetam cernere.
 Musis, poetis, & sacro
 Phcebo referte gratias
 Hinc hostis est audaculus,

Qui nescit vllas literas
 Poeticis ornatibus
 Poeta vincit viperas.
 Musis, poetis & sacro,
 Phcebo referte gratias,
 Nisi fuisset vatibus
 Infensus & contrarius
 Therfites siue zoilus,
 Nil esset illis clarius.

ACTVS QVARTVS.

Dromo, Petrucius.

SAlue perite iuris & miseris pater,
SPatrone, consul, rhetor, & legum sciens. **Pe.**
 Non admodum misero pater, sed diuiti.
 Nam liberi, vxor, & domus multis egent,
 Quos cogor educare mercenarius.
 Quare nihil me pauper vnquam diuitat.
 At vale pauper, abi, miser nil me beat. **Dr.**
 Quid si lucri ex causa tibi quid nascitur? **Pe.**
 Potest quidem hoc, sed cedo quid negocij est? **Dro.**
 Nostin? Dan istam? **Pet.** Fœneratorem malum,
 No ui. **Dr.** trahit nunc me ante iudicem sagax. **Pet.**
 Quare? nam oportet sciscitari singula. **Dro.**
 Meo magistro quid referre debui
 Octo aureis sumptis, eos non tradidi.
 Sed credito mercem recepi, & vendidi.
 Nunc postulant vterq; vtrifq; pernego,
 Nequeunt probare vterq; propositum suum. **Pet.**
 Causam bonam foues, si dimidium dabis
 Octo aureorum, at est secus si non dabis. **Dro.**
 Cui darem? **Pe.** mihi patrono, nam mea
 Opera solutus eris ab hac instantia. **Dro.**

Duos

Duos dabo, miserere paupertatula. Pet.
Fiat, caue nil nisi ble respondeas.
Si quaero quæ, tu redde ble, atq; aliud nihil.
Dro. Faciam. Pe. duos mihi polliceris aureos: Dr.
Promitto dummodo vicero. Pet. modo viceris,
Eamus huc, iudex tribunal occupat.

Minos, Danista, Petrucius, Dromo.

PRæco iube silentium, a duersarij
Vbi sunt, adest nomenclator nominum. Da.
Compareo iudex, & aio, quod Dromo
Vnas recepit panni adusq; quindecim
Metiente me, pretijq; nihil mihi soluerit,
Cogatur ergo octo aureos persolueri. Mi.
Quid tu taces: Dro. ble. Pe. Apparet hic surdus miser. Mi.
Vade hinc petruci, patrocinare furdo huic. Pet.
Ducendus, haud vocandus est, id sentio. Mi.
Curate vos causidici, vt vnusquisq; sit
Cum instructionibus paratus litium:
Ne, vt antea, turbemur in processibus.
Sed introit Petrucius iam, quem prius
Audire & expedire stat sententia. Pe.
Minos, miser surdaster, atq; mutus hic,
Nequit fateri, aut diffiteri, nec loqui,
Sed consulo Danista causam testibus
(Si vincere optat & obtinere) iam probet. Da.
Taceat ne siue loquatũ, id refert nihil.
Ego solus hoc sibi solitario dedi.
Igitur probare nil queo, sed hunc peto
Iurare decisorium & calumniam. Mi.
Petruci, cum adduc, vt vel hunc interrogem.

Homo

Homo, Danista quid respondendum putas? Dro.

Ble. Mi. non voles calumniam inferre improbe. Dro.

Ble. Mi. interrogatus vera ne negaueris. Dr.

Ble. Mi. sed probatione falsa ne vtere. Dro.

Ble. Mi. neue quos pecunia corruperis. Dro.

Ble. Mi. Differendam ne tibi litem pares. Dr.

Ble. Mi. saepe ble, multumq; ble, tibi suadeo

Danista vt hunc missum sinas, nil obtines. Da.


Ego obsecundor & obsequor, valeat latro. Mi.

Et ego Perruci absoluo sic clientulum.


CHORAVLES CHORVS.






C



DISCANTVS



TENOR



BASSVS



Cedant fori contentio & iurgia,
Si vis quies vt sit tibi perpetua
In atrio nam tartari
Sunt & Minos, & Aeacus,
Et cæteri consules & aduocati,
Verat musa sequacibus industrijs
Frequentare iuridici subsellia,
Vbi vigent versutia,
Calumniæ, mendaciæ
Doli mali, proditoriaq; fraudes.
At hortatur te laureis virentibus,
Et celestibus Apollinis concentibus,
Dies noctes incumbere,
Et liberè, **E**t impigrè,
Vt cum Phœbo sempiternus esse possis.

ACTVS QVINTVS.

Petrucius, **D**romo.

Fortuna nobiscum fuit Rhamnusia,
Fortuna quæ vertit, reuertit omnia,
Benè vertit acta quæ ante iudicem egimus,
Quibus Danista te volutum prendidit.
Sed es solutus iudicis sententia,
Opera mea & consilio, & auxilio simul
Quare tuam fidem oro ne me proferas
Quod iure pacti portionem sumpserim.
Multo minus tandem mihi stipulatus es,
Duos enim pollicitus es dare aureos,
Quos absq; controuersia merui probè.
Expecto des, dare vis Dromo? Dro. ble. Pe. eiusmodi
Vltra haud oportet alloqui vocabulo.
Dr. Ble. Pet. non oportet talibus nunc moribus.
Nam liberè loqui vales iam, Dr. Ble. Pet. nihil

C ñ **H**ac

Hac voce foli cum fumus, deinde est opus. Dr.
Ble. Pe. vis dare, an non, te rogo? Dr. ble. Pe. non ioco,
Sed serio, prope est eundem istuc mihi. Dr.
Ble. Pe. versipellem mehercules te iudico,
Immemorem, & ingratum mihi merito, benè,
Vis soluere duos aureos mihi debitos? Dro.
Ble. Pe. non quiescam donec inueniam modum
Soluendo sis, aliter minas malè senferis.

Elfa, Greta, Henno, Dromo, Abram.

Vicina nunc pendeo animi, opperior virum,
Ex oppido Danista cui iurgatus est,
Timeo viri feueritatem, nescio
Quorsum excidit rumusculus de iurgio.
Potens Danista, sed maritus fortior.
At ecce longe illum per arua incedere
Video, suas spargentem & inde & hinc manus,
Scire velim an absit pax, nimis sollicita sum. Gr.
Quid te attinet, pax iurgiumue respondeat? El.
O Greta nescis de Dromone & filia
Fuit clam habendum Hennone semper, filia
Non nihil amat Dromonem, & is, magis quidem
Rurfus amat Abram ex intimo pectusculo.
Volui vtrosq; combinare (vt est sacris
Legibus apertum) matrimonialiter.
Sed heu fortuna quæ domat mortalia,
Ea noluit permittere: at succensuit
Hodie maritus in oppido contra meum
Dromonem, & hæc mihi cura maxima omnium est.
Negligo crumenam Greta, si viuat Dromo. Gre.
Sine me tuum alloqui maritum vbi venerit,
Nam

Nam mansuetus in modum passeruli. **El.**

Tace, venit. Hen. quis est domi? **El.** vxor ipsa. **Hen.**

Excandeo ludibrio me haberi, item

Et infidelem & futilem & scemineum. **El.**

Quare marite virq; dilectissime? **Hen.**

Quia Dromoni scelus apertum impingitur,

Danista pannum credito dedisse vult,

Dromo negat quod il ab hoc receperit,

Adiere vterq; iudicis sententiam. **Gre.**

Vicine noster Henno salue: nam salus

Vbi es tu, ibi est. **Hen.** salueq; Greta identidem. **Gre.**

Quid rerum in vrbe? **Hen.** vxori ego dixi modo,

Quia Dromoni scelus apertum impingitur. **Gre.**

Apertum? **Hen.** vt ipsi aiunt, at id beat meam

Erga hunc fidem, quod liber est sententia. **El.**

Heus liber est, adoleuit hic domi probè

Semper probis & integris Dromo moribus,

Optauit autem filiam vxorem sibi

Quàm saepe, nolui tibi Henno dicere

Nisi nunc. **Hen.** Dromo solutus ex sententia est,

Aegrè Danista fert: vter constantior

Atq; probior sit, iudicis sententia est. **Gre.**

Vis ergo tecum redeat ille in gratiam?

Scio vbi ille est. **Hen.** volo. **Gre.** veni Dromo citus. **Dro.**

Quid est? **Hen.** frequens hodie fuit turbatio,

Quo nescio quis nostrum hoc incidit scelus.

Si dicis omnem rem acta vt est, promittimus

Ego & vxor Abram filiam vxorem dare. **Dro.**

Vxorem? **Hen.** Ita. **Dr.** breuiter reuoluam singula

Tu Henno octo es vxori furatus aureos,

Pro panno ego quos pannicidæ soluerem,

Novi quod vsurarius Danista sit,
Decepi eum his octo aureis mirum in modum,
Iuris peritum adeptus per fidum & nequam,
Quo tam suam qui pactus esset litium,
Antistrophe, syllogismo rhetorum,
Decepi eundem quo institutus sum modo:
Nunc cuius est probitas proba ex sententia,
Peto filiam vxorem dari, atq; hos aureos
Loco dari dotis. Gr. Dromo benè iudicat. Elf
Affentior, caream licet peculio,
Tamen nihil molestius perpessa sum,
Vnquam à die qua nata sum, at consentio. Gre.
Decet Henno te nihil refragari modo,
Nam & fortis est, & laboriosus, & efficax,
Nec adhuc vir est, nec adhuc iuuentæ proximus
Pulcher, decorus. Hen. filia an placet tibi? Abr.
Placet. Hen. ergo habeatq; habeat, satis dos ampla erit.
Venite, adeste, estote amantes coniuges.
Quæ contulit laboris æuiternitas,
Ea omnia in dotem damus. Elf. pax est rei. Gre.
Vobis salutem opto, huius & comœdiae
Quibusq; spectatoribus. Iam plaudite.

Finis Comœdiæ prioris.



IO ANNIS

REVCHLIN PHOR.

CENSIS SERGIVS.

PROLOGVS



Si vnquam tulistis ad iocum vestros pedes,
Saut si rei aures præbuiſtis ludicræ
 In hac noui obſecro poetæ fabula
 Dignemini eſſe attentiores, quàm antea.
 Non hic erit laſciuiæ, aut libidini
 Meretriciæ, aut trifti ſenem curæ locus:
 Sed hiſtrionum exercitus & ſcommata.
 Nam Buttubatta repperiſſe creditur
 Caluariam cuiuſdam anilis Sergij,
 Qui erat Mahometi magiſter primitus:
 Quo Sergius fit nomen huic comœdiæ,
 Fatetur ipſe ſcriptor antiquis ſecus
 Fuiſſe conſuetudinem ſimul & nouis:
 Quod ſcripſerint illi trimetro & tetrametro,
 At hi ſoluta oratione licentius.
 Ambobus exceſſit via nuperrimus
 Hic ille noſter, nanq; in omnibus vnico
 Genere uſus eſt, quod paucitas facit actuum
 Breuitate temporis coacta februi.
 Nunc vos petit fauere ineptitudini.
 Si ſenſerit placuiſſe primitias ſuas,
 Faciet deinceps integras comœdias.

ACTVS

ACTVS PRIMVS

HELV O.



Vm me & meos contemplor à natalibus
Patrem, patrimum, proavos, tritavos, avos,
Abavos, itēq; atavos, oēm hancq; germinis
Congerminationem, & hunc nostrę domus
Splendorem abusq; maxumis patruis meis,
Grates habendum mihi duabus est deis,
Iunoni, & eius affectę primiparę

Lucinę, ob id quod ea parentela fatus,
Quę sit notissimāq; famosissimāq;
Ex Heluonibus Heluo haud spurius siem.
Equidem patritos imitor mores, bibo,
Rebibo, voro, deuoro, quod omnes assolent
Cognomines nati meis maioribus.
Plus tamen ego ipse cęteris ingurgito
Et heluor, quare Heluo est nomen mihi.
Vbi quid est vini, si eius copia est,
Haud cesso, quousq; totus est gurgulio
Pręgnans ab imo & trans gulam: sin paucitas,
Vel lambo vel lingo, dum odor sagax oler,
At non (vt est plerisque mos) in abditis,
Et solitarijs locis, aut specubus,
Aut clam viris penitissimo in quodam penu
(Hoc indecorum hominīq; detestabile est)
Sed cum bonis natabus, ac sodalibus
Consimilibus mei, atque item gnatonibus
Vt ego sum, eo hic quęro meos contribules
Parasiticos, prędonicam artem qui colunt
Offarum & amphorarum, vbi est merax merum
Qui aliquando delinītoribus iocis
Mentes furantur, atque sensus hominum,

Vt reli-

Ut reliquias vnctæ patellæ, & canthari
 Vuida lacunaria superstitis meri,
 Quadrasq; mensaru m, & pia stipendia
 Nostri in inanibus gulis & ventribus
 Repentent: non quasi mendicabulum
 (Hoc enim esset infamia meis maioribus)
 Sed ludicræ artis præmium & mercedulam.
 Iam nunc quidem hora ipsa & stata & certa immineret,
 Qua flagriones hi, infimatis ille grex,
 In aliquod vsq; contubernium ruant,
 Aut ad forum populo strepant prouerbia.
 Corripiendum mihi illuc est maturi me.
 Nam illis voluptas maxima est præsentia
 Frui mea in ludis, iocis, & risibus.
 Scio quod actutum misellioribus
 Sunt inedia miselliores & fame.
 Quærunt vbi commodius sit faucibus,
 Vbi estur & bibitur, sed eccos commodum,
 Eccos propè in medio fori congeminant,
 Coitur, accurritur, habent quid ludicrum.
 Quin ego citatiore gressu propero,
 Et curro nunc etiam probè, vt videam quoq;
 Salax, Heluo, Buttubatta, Aristophorus, Lixa.
 Sa. Heus tu tribune noster aduola. He. O Salax
 Rerum quid est? vt tu tumultuanter hic?
 Sa. Nescio quid istinc Buttubatta fert boni.
 Curritur ad hunc ceu si exiisset Indiam.
 Ferens auem phœnicem. But. adeste ehodum ehodum.
 Adeste principes furum, histrionum, item,
 Et ludionum, & lusionum, & verberonum,
 Adeste mercurialiter non plumbei

D Sed

Sed plumei, pedibus volucris scio
Mirum in modum admirabile in, ac vobis quidem
Ignobilem rem insinuo, hic intra meum
Sinum Ari. paras anteloquium & rhetoricum,
Et admodum forense Buttubatta, nam hac
Concinnitate orationis nemo homo
Ne Gorgias, neq; Zeno, nec Protagoras
Te vincet æquè arbitror: at exhibe, quid est?
Bu. Exhibeam? enimvero nec exhibebitur.
Li. Tu verò exhibe. He. exhibe. Sa. exhibe modo.
Bu. Vim vim, triumviri triumviri; heus ohe,
Appello iudicis tribunal, læditis. Li.
Dabis. Sa. tenes? Bu. cessate furciferi fures.
Sa. Tenes? Li. statim. Ari. te nes? Bu. scelesti sacrilegi
Opatricidæ, matricidæ, ne utiq;
Præhenditis vel hoc die. He. trahe, corripe.
Bu. Hodie ô rapax nequis id à me auellere. Li.
Conemur omnibus modis enixim omnes
Bu. Heu penula & bardo cucullus interit
Rumpunt suum misero mihi. Li. dato. Bu. non dabo. He.
Permitto vt nos leniter queamus id,
Quo dcunq; rerum est quod sinu occultè geris,
Aspicere, & vltro reddere obsecro. Bu. iubes
Fidem? He. fide iubeo. Bu. statim reddi? He. statim. Bu.
Sanè modo fiet, modo manum exigit
Lixa, metuo iugulum. ne anhelitus opprimat. Li.
Sic sta. Ari. fugam capescir. He. interdum manet. Sa.
Mane fugax. Bu. non ædepol si liberè
Meme sinatis fugio. Li. currite heus pernuciter
Quisq; optimus, plicate concinnis manus:
Sycophanta magnitate perfidiæ extimæ
Num

Num iam reddis? **Bu.** sic anteuortebant viam

Isti appetones, vt ne mus eroderet. **Li.**

Ligate furcifero manus simul & pedes. **Bu.**

Ne amice Lixa, cateriq; complices

Vincite vestrum amcenum & aptum bibesium

Atq; popinonem egregium, ac aridum æmulum. **Ari.**

O palpo, nemo blandior palpator est. **Sa.**

O blandicella verba. **Li.** pro deum fidem,

O singuli vos flocciores vellere,

Deinde leuiores pumice, ut non compedes

Siue manicas huic adhibeatis ferreas. **Bu.**

Ble. **Sa.** mulsitas? **Bu.** **ble.** **Ar.** blateras? **Bu.** **ble.** **Li.** balitas? **Bu.**

Quid ni? cum ouis sim, lanam ita decerpitis

Mihi, & caput pilatis, hinc cohibete vos. **Li.**

Quare scelus mendacibus verbis tuos

Fidos sodales ludis & contemptui

Habes? **Sa.** dein, quare tenes suspendio

Animos sodalitatit? **He.** an non te pudet

Celare quod promiseras ostendere? **Ar.**

Non te piget mendacij tam variij? **Li.**

At nunquid autumas asellos esse nos? **Sa.**

An ne cuculos nos esse cocytosue ais? **He.**

Quid? nos gracillare est opinio tua

Gallinæ instar? siue cucurrere sic

Vt galli assolent ineptè? nos viri

Etiam sumus, quo spernier vitio damus. **Ar.**

Immo viri, non scemina. **Bu.** porcos, sues,

Scrofas graues vos iudico per Herculem

Nunquam ædepol homines suatim gruniunt. **Li.**

Et tu haud homo es, sed monstrum abortiuum nimis

Scelestè & impudice leno ttifurcifer. **Sa.**

D ij Bustirape

Bustirape, verbero, fugax, fugitiueq; **He.**
Soci fraude, flagrio, nequam nequissime. **Ari.**
Nihil respondes? digne qui crucium feras. **Bu.**
Etiam perorastis ne tandem inania
Omnis boni mancipia, blasphemii, nequam,
Vel sic putastis hoc iocale de sinu
Meo exterebrari potesse? aliter fuit
Agendum apud malignum & infamem virum,
Qui nullam honoris aut probri rationem habet,
Frugi homo veretur opprobri & oblini,
Famamq; denigrari obitam iniurijs.
Contrà, infimatis, quilibet sycophantulus
Laudes & opprobria inuicem iuxta æstimat,
Maledicta hæc benedictiones arbitrator.
Quod si velitis bellum hoc & lepidum. **He.** quid est?
Ai. Sa. quid est? modo dice, pax. **L.** a gendum quid est?
Ari. Sinite eloqui quod deglutator cœperat. **Bu.**
Quod si velitis pulchrum hoc & lepidum simul
Locale, quod dudum sinu insinuaueram,
Oculis videre, ac digitulis contingere,
Non verbera, at verba opus erunt mellaria,
Rogationes, supplicatio frequens,
Exosculatioq; item hymnus & preces. **Sa.**
Hoho deus larualis iste ganeo
Gurgustio vtetur pro æde mehercule.
Vult supplicari sibi quasi cuidam deo. **Bu.**
Quid tum Salax, vbi histrionum sim deus?
Nonne histrionica arte plus præpolleo
Præ cæteris (quos nunc sciam) iocularibus?
Sed supplicate vos breui, est paucis opus.
Nam id, quod fero, dignum est pio supplicio. **Ari.**

Tibi

Tibi ne an iocalibus litabimus? Bu.
Vtriq; nam quod gesto, dicitur sacrum. **Hel.**
Ostende, monstra, societas vna expetit. **Bur.**
At fiat. Ecce, accipite quaeso vasculum. **Sa.**
Vis dicere hanc laruam? **But.** di; te laruent,
Quid laruam? eris laruator manendeis
Si pergis hoc loqui modo, mutito heus. **He.**
Papæ, cadauer tantihoc testaceum,
Lutosum & argillosum & horridulum caput.
Formido formam, & ossa mortui horreo. **Bu.**
Quam delicatus hic formosulus puer:
Num tu os times appelle, seu demortuum?
Os extimescas si sapis trilinguidum,
Et viuidum & pilax. **L.** homo hic ex stercore
Vbi volet facit aurum, habenda est gratia,
Benè statur, præstigio hoc salui erimus.
Nam Buttubatta, dum famelica est lues,
Hoc arido osse præstito, mendiciter
Laboriosos agricolas commoueris,
Vt quisq; ductus religione obulum offerat.
Quæcunq; anus, quicunq; sunt silicernij,
Vetuli, veternosi, cibarium dabunt.
Exosculabuntur sacrum (vt tu fers) os hoc.
Finges quoq; & diuinitatem aliquantulam
Peccata contemplatione piaculi
Remittere, indulgere ita reatibus,
Defendere à plutonio illos tartaro.
O mentis humanæ furem. **Bu.** quid clamitas?
Et quid latras? aut quid rabis rauce rabulas
An non mihi rectè licet, quod est frequens,
Triuale, tritum, & vsu captum ædilibus? **Sa.**

D iij Quicquid

Quicquid hoc ais, os impudicatum geris,
Et faculentum, & oblitum musco & luto.
Ari. Papæ quid est? **He.** testus vbi lumbricos coquas
Seu humana testa vermibus gurgustium.
Li. Testudo nempe & bustuarium est caput.
He. Foetet graue. **Sa.** malè putet, ac scœdius olet,
Ari. Lauato saltem, & pone subter imbricem
Cauum hunc vbi pluit, aut ahenum tollito
Aquæ callentis plenum, eo pollincias,
Pollinctor vt solet cadauera munditer.
Bu. Quid si lauabo, & largiter pollinxero?
Num vultis vnguento vt perungam exotico,
Vt cinnami atq; opobalsami yngvine fumiget?
Immo quidem mauelim vt olerum naribus
Crispa ntibus vestris oblatum oleat prius,
Vos rusticis parentibus nati fures.
Lix. Etiam est opus lusorium vnda si laues.
Nam tuum quid est? **Bu.** volo ergo pelluere in labro,
Vt faciam & istis cruciferis hodie satis.
Bhodum quis it mecum ministerio comes?
Sa. At quem iubes? **Bu.** venite Aristophorus & Salax,
Nam cæteri opperiantur nos hic affore
Breui & cito. **Lix.** nos philosophabimur inter hæc,
Bu. Fiat, sed heus cauete dum, ne quid nimis.

ACTVS SECVNDVS.

Pharisaus, Heluo, Lixa.

Quid est quod isti locum eunt rabulæ nequam?
Qui cuncta quæ loquuntur obligant metro,
Et versibus suos poetantur iocos.

Heus

Heus vos, quid est quod efferunt gremio foras?
He. Quid te attinet? vix ipsi hoc ipsum scibimus.
Fors larua scenis apta fiet ludicris
Vbi laua bitur, aut erit quoddam organum.
Pha. Quale organum? vultis ne versus fistulis
Stridere? an ex persona capse quam lauit,
Turpes poetæ personare versibus
Nugas leues, vetitas, & illeges libris. Li.
Hypocrita, & nulli valoris amule,
Aufis poetarum sacra ta munera
Temerè profanare impio ore isto tuo.
Anas oleto læta fit, pullastra edit
Exputa spurca, anser cloaca pascitur:
Foricas sues, porci latrinas eruunt:
Tu asinini onagri pullus auritus, luto
Cænoq; gaudes belua indoctissima,
Docesq; nos poematum sacra spernere,
Quod ea esse dicas execrata de libris.
Cuius libris? Num vox dei Terentium
Spreuit? ne ad stimulum (inquietis) calcitres.
Paulus Menandrum, Aratum, Epimenidem inuocat
Testes, prophetas, atq; veri conscios,
Rerum omnium poesis est exordium,
Et ante cælum, & ante mundum, præ omnibus,
Quod Moyses vates tuus tibi suggerit,
Qui & ipse lusit versibus poeticis,
Sapiunt poetæ doctioribus viris.
Tibi, fabulino, barbaro, in doctissimo,
Fanatico, fatuo videntur sordidi.
Afellus ad lyram vetus prouerbiū.
Sed si modo per tempus & negotium

Mihi

Mihi liceret, & vacaret belua,
Ostenderem recte tibi qui vir fies,
At introrumpunt confodales audio. Pha.
Abeo domum dictis onustus pessimis. Li.
Nunc Heluo quantum esset in rem tute scis
Vt huic cauillatorium os contunderes. He.
Sequar virum, si mutiat, pugnos edet.



ACT VS TERTIVS.

Buttubatta, Salax, Lixa, Aristophorus.

DLi vos edones, combibones, comici
Perdant omnes. Li. heus, te volo. Bu. quid Lixa vis?
Li. Dñ vt te perire in rem velint non bonam. Bu.
In rem malam vis dicere. Li. immo pessimam. Bu.
Melius meatim te ominari peruelim,
Tu quod tuli vide, tene, considera
Num bellule ac lepidè nitet post balneum?
Ne ego miser: quem oporteat tam vilibus
Mancipijs gestare morem, & pendulis,
Suspensili turbe raponum, immo furum.
Tibi in manu est, agendum, colendum præbeas
Iam circulatim exosculentur hoc sacrum,
Ari. Demortui leonis esse cranium
Videtur execrabile ad furcas age,
Vbi repperisti hanc mortuam caluariam?
Bu. In craniario inter ossa putrida,
Vbi cubant tam diuites quàm pauperes,
Caput omnium mortalium dignissimum.
Li. Quo: nam potest vel tartaro vel fulmine
Dignum esse, sirpo huic nodus est, obscura sunt

Quæ

Quæ ais, responde, quid facis caluariam hanc?

Bu. Caput omnium mortalium dignissimum

Cui supplicetur, hoc gerenda consulit,

Et quicquid est quod consulit, princeps facit

Omnis potestas huius in manu est sita.

Sa. Manes habere potest, at haud manus habet

Ni sit lemurium quod vngues occulit,

Quod quaq; noctium quietos territat,

Et vnguibus vultu cicatrices notat,

Immane terriculum & manes truces.

Bu. Sine me tibi sodes recensere probè

Quid profit, & quid obfit hæc caluaria:

Vel hæc quid omnino sit, vnde venerit,

Quò tendat, & quorsum breui ventura sit.

Ari. Taceamus, vsquàm nil volo appetitius.

Bu. Videtis hanc caluam recaluastram, cauam,

Et osseam ac testaceam, prodest modis

Tribus, creat numerum, dat umbram, & loca replet

Sa. Garrere Buttubatta noster visus es

Dialecticum, hoc sophisma, vt illudas tuis.

Non cernitis quomodo suum os hic carnis ex

Distorserat mox in loquendo fabulam?

Ari. Ah dic. Bu. rogas? Li. ah dic precamur. Sa. ah dic modo.

Bu. Videtis hanc caluitiam, vel hoc caput,

Quod cuncta nutu, numine, & voto suo

Regnat, regit, mandat, iubetq; & precipit

Nolentibus, volentibus, simul aulicis,

Et incolis, & accolis, & proximis,

Et intimis & extimis: contra deum

Contraq; fas vortit, reuortit omnia,

Et pro deo, pro fasq; rursus si volet.

E

Ari. Hoc

Ar. Hoc vacuum, hoc illepidum, hoc putre ac vanum?
But. Immo hoc potens, gratum, placens, laudabile,
Quod principem regit, trahitque quod cupit,
Creat magistratus, repellit denuo,
Veterem exautorat senatum & consules,
Nouum senatum & consules succenturat,
Reique publicæ rescriptuarios
Alternitate muneris premit, leuat,
Negotiat, vniuersa principis
Sine principe, & consilia dat sine consule
De eiusmodi solo suomet capitulo.
Quod cernitis quàm illustre, quàm egregium eminet,
Concludit autem principem triclinio,
Ne possit esse accessus vllis absque se,
Legationes antè mulgens concutit,
Quàm principis frui queant præsentia,
Edicta, & interdicta, iura, oracula,
Leges profanis atque sacris dictitat.
Obediunt cœlestia & terrestria
Capitello huic: quia nam sublimat & infimat,
Depauperatque, & diuitat: quæ vult, facit.
Quæ vult, iubet: quæ vult vetat capitis caput.
Ari. An vera prædicas rogo te serio? Bu.
Quin vera. Sa. vera? Bu. verius verissimo. Sa.
Hei mira fors istiusmodi caluarie. Bu.
Quin basiate liguriones hoc caput. Sa.
Quare? Bu. quia ipsis capite plexis est caput
Et omnibus furunculis, infamibus,
Epulonibus, mandonibus, mansucis;
Cui quot vsquam sunt virorum mollium
Ac molliorum foeminis nunc supplicat,
Quod

Quod in sacris & in profanis rebus
 Quasi sit deus colunt, adorant, prædicant
 Ludos, iocos, ferias, honores statuunt.
 Mandat, probant; remandat, illi idem probant.
 Condemnat, & dat gratiam: vexat bonos,
 Amat malos, vt quisq; furcifer suat.
 Proscriptus ob crimen, caput capital capit,
 Seu factionis factiosa industriam
 Latrunculandi animo cum eo paciscitur.
 Accedite huc lenocinatores viri,
 Caput hoc pudicos nunquam amauit coniuges,
 Accedite huc adulterantes forminae,
 Caluaria ista prostitutas diligit.
 Accedat huc & virginum venditor,
 Sæpe hoc caput deuirginauit virgines. Ari.
 Vnde ergo adest? Bu. ex Arabia. Ar. nomen quod est?
 Bu. Sergium, an ignoratis illum Sergium? Li.
 Grammaticum eundem qui latina perdocet? Bu.
 Nequaquam: at illum apostatam atq; persicum,
 Qui ne latinè nèue græcè doctus est,
 Monioſthenis reprobi ducis meritorium. Li.
 Quomodo igitur monachus fuit? Bu. blateros fuit,
 Dicaxq; multiloquusq; vir sophisticus,
 Nil dixit, at loquutus est audaculus,
 Temerarius, versutus, insolens loquax.
 Ast quando relligio suam nequiuerat
 Amentiam vltra ferre, correctus fuit
 Afratribus patribusque more regulae,
 Vt par fuit, quod non tulit benè Sergius,
 Curans quo abire posset è monasterio,
 Erupit, euasit, retrocessit fugax,

Quærendo qui moris sui compar foret.
Quid multa repperit sui similem latro,
Potentioem se tamen, tui vt queat,
Tanquam deum tutanum, & afferentem opem,
Nomine Mahometum, Cyreneum genus,
Quem patria græcè vocat Monioſthenem.
Deinde amiculum reiecit & ſcapularia,
Sed & cucullum, omnemq; adornatum ordinis,
Constantiam, & probitatem, & integram fidem,
Atq; (vt breui ſermone plurima explicem)
Monachus qui erat, factus eſt apoſtata,
Fratrum ſuorum perſecutor maximus,
Quotiesq; victus vinculis iniectus eſt,
Toties Mahometus receptum liberat,
Vel blandiendo, vel minando fratribus.
Idem Mahometus Damascum primitus
Vbi obtinebat, & Syros, & Arrabas,
Turgebat hoc caput in grauem ſuperbiam,
Lenigero equo, & volucris caballo inſidens
Cum quatuor coequeſtribus dromonibus.
Si orare coram plebe, vel patitijs
Conſtituerat, ſeſquipeda verba ruminans,
Pontificio redimiculo comptiſſime
Trabeatus, in veſte augurali apparuit.
Sed me dies deficiet ortis hic recens,
Si res vel imgeſtas ad vnguem exponere,
Quo faſtu & impetu ſit vſus initio,
Quibusq; tunc & nunc minis, & perpetim
Nam ſæuiebat, vt aſſolent apoſtata.
Sa. Per pol & ædepol, & herculem, & canem,
De hoc tu quidem memoroſiora quam antea

De

De qua; re vnquam audirem, modo explicas.

Bu. Non dum omnia, primum omnium foecialiter

Fraterculis bellum horridum indixit suis

Moniosthene fretus duce, proinde & factis

Victum sacerdotibus ademit annuum

Consuevit appellare praebendas sacras

Vulgus. Renunciauit ille apostata

Sub nomine illius Mahometi viris

Bonis, sacris presbyteris praebendulas

Dimittere, & ieiunio mortem mori.

Sic omnibus facit probis caput hoc viris,

Sed ganeonibus, & ligurionibus

Pater & protector est caput hoc pra omnibus.

Ari. O amabile hoc caput. Bu. osculari definis.

Ari. Exoscular quia leno sum, salue caput,

O caput omnis lasciuia, caput leue,

Cauum caput, sine spiritu, sine lumine,

Salue caput, praesidium & heluionibus,

Glutonibus, gulonibus, nihili viris,

Et dulce scurrarum decus, salue caput.

Bu. Vt autem aperte cuiq; vera praedicem,

Caput hoc inane quod videtis planiter

Est tale, quod loculos suos plenos facit,

Nec dat sed accipit semper, nec vnde fit

Quaerit, sed an sit qui det, & det largiter.

Vos autem edaces & famelicos fures

Noui, nihil laudatis vsquam a quo nihil

Rerum dari potestur vt fruamini.

Deinde amat quoc; neminem nisi apostatam

Similem sui, vel qui mahometista sit

Professione, aut genere Phryx, aut Perficus;

Aut Medus, aut Damascus, aut Syrus, aut Arabs.
Nam illos domat, regit, gubernat, inuolat,
His Alkoranum fecit, & legem tulit,
Qua Saraceni vtuntur & Turcæ truces
Sic dictu & actu vult omnes apostatis
Fieri pares, tegere vt queat suum scelus. Ar.
Heu pœnitet quod osculatus sim hoc caput,
Nam scire debui, cauum quod nil habet.
Quare nihil præstare quit sôdalibus.
Et me pari mœrore pœnitet quoq;
Et hoc quidem de Buttubatta ægre fero,
Qui spem bonam caluarie nobis dedit.
Li. Similiq; ego resipisco pœnitundine,
Quare mihi palinodia est canenda iam,
Dij te caput vacuum atq; inane perduant,
Et fulgur & fulmen superne concremet,
Et quicquid inferis mali est dispulueret. Sa.
Nix, ignis, effrenes procellæ & grandines,
Venti maligni & motiones terreæ,
Fames, sitis, curæ graues, atq; inedia,
Febres, & vlcera, atq; pestilentitas,
Morbus caducus, si qua sunt, & cetera
Mortalibus nocitura, vexent te ô caput. Ar.
Par ipse votum squallido capiti imprecor,
Quod inferis rest terror, id te distrahat,
Terræ & hiatus glutiendo absorbeat
Furiale bellum Cerberusq; & Tartarus
Te in carcere atro tulliano torqueant
Viuum, atq; adhuc vincum catenis ferreis,
Et squallor, horror, aridus semper tremor,
Densum chaos, & ater umbrarum chorus.

Te cum

Te cum Mahometo tuo dilanient,
Te frangulent, obstringulent, obliterent
Et culter, & venenum, & incantatio,
Vitam tuam (quæ est mors) acerbè finiant.
Bu. factum benè est, caluuntur hac caluaria,
Quicumq; spem locant in hanc caluam cauam
Egi meum officium sodales optumi,
Ludos leues meo cauillo callidè
Vobis videntibus, attuli, id licuit mihi.
Si quis cupit prudenter omne negotium
Gerere, vt rei priuatæ id quod plus erit,
Etiam rei communitatis publicæ
Benè commoder, frugaliter cadat, & quadret,
Is memiuerit quæ hac dicta sunt Comcedia
Cum capite vano nil agat, nec consulat,
Vbi nec sapientia, aut constans fides,
Præsertim vbi iam peierauit denuo:
Nam peius est vnquàm nihil periurio.
Nunc plaudite, & valete, res acta est satis.

F I N I S.

Nunc plaudite & valete, res ista est facta.
Nam peius est viduam nihil peturam.
Pateris vbi iam petierat heros.
Vbi nec sapientis aut constantis fides.
Cum capite vno nihil agat nec consulat.
Ia meminerit quibus ista tua Comcedas.
Bene commoderet, sed ista & quibus.
Etiam rei committitur, sed ista & quibus.
Gatervt rei pater, sed ista & quibus.
Si quis cupit pater, sed ista & quibus.
Vobis videndum est, sed ista & quibus.
Iudos locos nro canillo callide.
Egi meum officium, sed ista & quibus.
Quicumque istum locum in hanc causam castrum
B. istum bonum est, sed ista & quibus.
Viam tuam, sed ista & quibus.
Et culter & venenum & mentis.
Te frangunt, sed ista & quibus.
Te cum Mithone tuo dicitur.



FINIS

RE-



molphus P.L.
3. Id. De-
no 75. F.

EPIS

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Christiana Per...
Faint text at the bottom right of the page, possibly a signature or date.

